

Ium, reginam, Catharinam virginem, urbem regiam, Carnutes, Tricasses, Rhemos, multasque alias Franciae urbes paulo antea fraude patris captas in pignus societatis ei tradidit. Tanto odio Caroli ardebat, ut oblitus clodium suarum perire quam non perdere ipsum praoptaret, expertamque Anglorum crudelitatem pati, quam parcere hostibus suis mallet. Inde quasi omnia quae cogitasset animo, ei licet, Carolum Lutetiae voce praeconis citandum curat, dieque dicta, cum iudicium arbitrio victorum exerceretur, regno eum non iudicis more, sed fraude ac scelere spoliauit. Et ne quod vel ius vel fas prætermitteretur, in Tricassibus, Catharina (nihil detrectante patre, qui nec sui, nec regni, nec mentis compos erat) Anglo nubere cogitur, ea interposita pactio, ut Anglus gener, si socero regi superstes foret, liberius ex Catharina procreati, in regnum Franciae succederent. Interēta Anglus in procuratione regni esset. Iis ita gestis rebus Anglus magno exercitu comparato, bellum gerere: aperte totius Franciae imperium petere, urbes munitas adire: alias vi, alias metu, aut præmia ostentando à Carolo auertere: plurimas authoritate nominis sui (nam quo se Fortuna, etiam fauor hominum inclinat) ad defectionem compellere. Intericto deinde tempore, mortuo Carolo sexto, cum hinc captiuitas matris (quae clausa in tenebris cum mœrore & luctu morte grauiorem vitam exigebat) inde hostium multitudo, hinc in-